This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Lc
7
367

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.

LC 7.567

SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE

BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
FREDERICK ATHEARN LANE,
OF NEW YORK, N. Y.
(Class of 1849)
31 March, 1887.

1731

Gelehrtenschule des Johanneums.

Adiectivum

quo ordine apud Caesarem et in Ciceronis orationibus coniunctum sit cum substantivo

examinavit

Dietericus Rohde.

Hamburg, 1884.

Gedruckt bei Th. G. Meißner, Eines Hohen Senates, wie auch des Johanneums Buchdrucker.

1884. Progr. Nr. 661.

Lc7.567

HARVARD COLLEGE
MAR 31 1887
LIBRARY.

Lane Fund.

Tractanti mihi verborum ordinem linguae latinae constabat adiectivi collocationem iam egere investigatione, cum quae adhuc in hac re valent praecepta parum quadrare videantur in usum latinitatis auctorum. Quam ob rem operae pretium esse existimavi ad hanc lacunam explendam aliquid conferre ratione habita elocutionis Caesaris et Ciceronis.

Ac primum quidem quae in rebus grammaticis indagandis ingredienda sit via, his quidem temporibus dubium esse potest nemini. Constat enim inter omnes neminem de usu cuiusdam scriptoris iudicare posse, nisi qui opera eius omnia aut maximam saltem partem sit perscrutatus. Hac re adductus ex Caesaris operibus constitui excerpere locos omnes, ubi adiectivum coniunctum est cum substantivo. At in examinando usu Tulliano viam quasi compendiariam inii. Cum enim mea interesset spatio constituto hanc quaestionem ad certum quendam exitum adducere, satis habui quo ordine in Ciceronis orationibus haec nomina coniuncta sint definisse ex lexico Merguetii. Qui homo diligentissimus, cum notaverit ubicumque singula vocabula reperiuntur, optime meritus est de re grammatica.

Sed multis milibus locorum collatis fit verum quod iam pridem conieceram: apud Caesarem et Ciceronem adiectivum plerumque ante substantivum positum esse. Quod quo melius perspiciatur, in eo qui sequitur indice notavi, quotiens adiectiva utroque ordine legantur. Ex quo intellegitur discrepare ab usu optimorum scriptorum quod adhuc praecipiunt, substantivum praecedere solere. Isto igitur praecepto infirmato etiam suspectum esse incipit quod addunt, inverso ordine increscere vim adiectivi. An fieri potest, ut quae structura verborum respondet consuetudini sermonis, eadem auctores maioris ponderis causa utantur? Nonne ordo is, qui recedit ab usu cotidiano, animos audientium ad se convertere solet? Sed priusquam hanc quaestionem aliasque accuratius examinemus, pauca proponenda videntur de adiectivi origine et natura.

Adiectivum, quod nostris temporibus attributivum vocant, quomodo ortum sit, colligi potest ex participio, quod coniunctum est cum substantivo. Namque hoc genus adiectivi sine dubio ex sententia secundaria explicandum est, ita ut locum obtineat attributionis, quod praedicatum vocare solemus. Quod nomen proprie vereque adiectivum attributivum vocatur, nonne eodem modo ortum est, ut exempli causa duas illas sententias: „Odi volgus, quod profanum est“ contractas quasi esse accipiamus in unum illud: „Odi volgus profanum“, ex quo factum esse ordine inverso: „Odi profanum volgus“?

Hic quaerat quispiam, quidnam fuerit causae, cur vetus ordo mutatus sit? Res non difficilis est ad intellegendum. Etenim adiectivum, quod positum est post substantivum ipsoque loco memoriam retinet sententiae secundariae, quodam modo propria vi sua videtur

esse. Cum autem temporum cursu quaedam adiectiva et substantiva saepissime una collocarentur, frequenti usu fieri non potuit, quin sublata memoria sententiae secundariae nomina artissimis vinculis inter se copularentur et connecterentur. Indicium vero atque insigne huius artioris coniunctionis in eo cernitur, quod adiectivum ante substantivum positum est. Rem autem ita se habere iam ex eo apertum est, quod, cum auctores participium in universum post substantivum collocare soleant, quae sunt participia usitatissima, velut „praesens, privatus, rectus", plerumque inverso ordine cum substantivo coniunguntur.

Atque adiectiva usitatissima artissimeque cum substantivo coniuncta novo ordine posita esse quamquam satis apparet ex indice nostro, tamen non inutile videtur ad rem illustrandam hoc loco illud monere: tritas illas coniunctiones adiectivi et substantivi, quae praesertim ablativo posito quodam modo in adverbiorum numero haberi possunt, eo ordine esse coagmentatas, ut adiectivum praecedat, velut: aliqua ratione, indicta causa, infecta re, longo intervallo, magno opere, magnam partem, prima luce, prima nocte, quodam modo, tanto opere.

Exsistit autem hoc loco quaestio, utro ordine adiectivum maiore vi efferatur. Qua in re primum videndum est, utrum in eiusmodi coniunctionibus enuntiandis sonus priore an posteriore vocabulo niti soleat. Sunt quaedam adiectiva quae, quamquam in universum ante substantivum ponuntur, tamen posteriorem locum obtinere solent, cum coniunguntur cum substantivis res aut homo, velut: res ipsa, homo honestus, homo improbus (contra improbus civis), homo inimicus, homo ipse, homo nefarius, homo propinquus, homo sanctus.*) Cuius collocationis quae sit causa, si quaesiveris, illa videbis substantiva tam levi, ut ita dicam, esse structura, ut sonus iis niti non possit. Ex quo intellegi licet, omnino posterius vocabulum maiore vi efferri. Accedit quod vetus ordo multo rarius legitur quam novus; quo autem rarius quid invenitur, eo magis exstare et prominere solet.

Quapropter hoc praeceptum videtur naturae consentaneum esse: *Quod adiectivum omnino ante substantivum ponitur, id gravitatis causa collocatur ordine inverso; quod contra adiectivum post substantivum poni solet, id maiore vi effertur cum praecedit.* Ad quas res illustrandas primum afferamus locos, ubi vetere, deinde ubi novo ordine adiectivum maiore vi effertur.

Leg. agr. I, 16 Ubi enim cavetur ne in Janiculo coloniam constituatis, ne urbem hanc urbe alia premere atque urgere possitis? — B. G. VI, 22 Neque quisquam agri modum certum aut fines habet proprios. ib. 34 Erat, ut supra demonstravimus, manus certa nulla. Verr. V, 63 Cum propter istius hanc avaritiam nomine classis esset in Sicilia, re quidem vera naves inanes, quae praedam praetori, non quae praedonibus metum adferrent. ib. 161 cum repente hominem proripi atque in foro medio nudari ac deligari et virgas expediri iubet. ib. 162 caedebatur virgis in medio foro Messanae civis, iudices (agitur de re iudicibus cognita). ib. IV, 11 at hominem video auctionem fecisse nullam, vendidisse praeter fructus suos nihil unquam, non modo in aere alieno nullo, sed in suis

*) Ceterum observandum est „novus homo" in Ciceronis orationibus novies legi, „homo novus" septies.

nummis multis esse et semper fuisse. B. G. VII, 26 Omnia experti Galli, quod res nulla successerat, postero die consilium ceperunt ex urbe profugere. B. G. VII, 71 Frumentum omne ad se referri iubet; capitis poenam iis, qui non paruerint, constituit. — B. C. I, 46 Hoc cum esset modo pugnatum continenter horis quinque nostrique gravius a multitudine premerentur. Planc. 80 Haec enim est una virtus non solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum. B. G. IV, 32 Nam quod omni ex reliquis partibus demesso frumento pars una erat reliqua, suspicati hostes huc nostros esse venturos, noctu in silvis delituerant. B. C. I, 30 Cato in Sicilia naves longas veteres reficiebat, novas civitatibus imperabat.

Cum sententia secundaria, quae pendet ex coniunctione nominum, magis ad adiectivum pertinere videtur quam ad substantivum, secundum naturam linguae fit, ut substantivum praecedat, quod his perspicuum fit exemplis. B. G. I, 1 Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgae... B. C. II, 28 Hic dimissus a Caesare in Africam venerat, legionesque eas traduxerat Curio, quas superioribus temporibus Corfinio receperat Caesar. ib. c. 29 legiones eae, quae paulo ante apud adversarios fuerant. ib. 1 Massilia enim fere ex tribus oppidi partibus mari alluitur; reliqua quarta est, quae aditum habet ab terra. Huius quoque spatii pars ea, quae ad arcem pertinet, loci natura et valle altissima munita longam et difficilem habet oppugnationem. ib. 36 Erat in oppido multitudo insolens belli diuturnitate otii, Uticenses pro quibusdam Caesaris in se beneficiis illi amicissimi, conventus is, qui ex variis generibus constaret, terror ex superioribus proeliis magnus. B. G. VI, 29 partem ultimam pontis, quae ripas Ubiorum contingebat, in longitudinem pedum ducentorum rescindit.

Altera autem pars illius praecepti, quod modo commemoravimus, his probari videtur exemplis. Tusc. I, 1 hoc mihi Latinis litteris inlustrandum putavi, non quia philosophia Graecis et litteris et doctoribus percipi non posset, sed . . . Liv. XXIII, 12 Secundum haec dicta Magonis laetis omnibus Himilco, vir factionis Barcinae, locum Hannonis increpandi esse ratus, „quid est, Hanno?“ inquit, „etiam nunc paenitet belli suscepti adversus Romanos? iube dedi Hannibalem; veta in tam prosperis rebus grates deis immortalibus agi; audiamus Romanum senatorem in Carthaginiensium curia. — Har. resp. 32 hoc si minus civili iure perscriptum est, lege tamen naturae, communi iure gentium sanctum est, ut nihil mortales a dis immortalibus usu capere possint. Verr. III, 176 quid igitur est reliquum nisi uti fateare te Romam frumentum emptum Siculorum pecunia misisse, publicam pecuniam domum tuam convertisse. B. G. VII, 22 nostrarum turrium altitudinem, quantum has cotidianus agger expresserat, commissis suarum turrium malis adaequabant. ib. 77 Nolite hos vestro auxilio exspoliare, qui vestrae salutis causa suum periculum neglexerunt, nec stultitia ac temeritate vestra aut animi imbecillitate omnem Galliam prosternere. ib. VI, 19 Viri, quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis aestimatione facta cum dotibus communicant. ib. VII, 15 ne pulcherrimam prope totius Galliae urbem, quae praesidio et ornamento sit civitati, suis manibus succendere cogerentur. B. C. III, 73 Quod esset acceptum detrimenti cuiusvis potius quam suae culpae debere tribui.

Quae adhuc attulimus de gravitate utriusque ordinis, quamquam et naturae adiectivi sunt consentanea et exemplis probantur, multum tamen abest, ut in omnes quadrent locos. Sunt quidem satis multa exempla, ubi non ratione habita totius loci vel totius capitis — ex duobus enim nominibus per se plerumque nihil colligi potest — cur auctor ab ordine usitato recesserit, explicari non possit; in aliis tractandis locis non possumus quin iudicemus, apud Romanos non minus quam in patrio sermone eam consuetudinem valuisse, ut quaedam vocabula vocis sono imprimis efferrentur.

Restat ut pauca dicamus de ea collocatione adiectivi et substantivi, quae hyperbaton vocatur. Saepissime leguntur loci, ubi nomina artissime coniuncta uno pluribusve interiectis vocabulis diremta sunt, velut: B. G. IV, 16 Germanico bello confecto multis de causis Caesar statuit sibi Rhenum esse transeundum. ib. V, 21 Ab iis cognoscit, non longe ex eo loco oppidum Cassivellauni abesse silvis paludibusque munitum, quo satis magnus hominum pecorisque numerus convenerit ib. 58 magna proponit his, qui occiderint, praemia. Cic. Off. I, 7 Omnis enim quae ratione suscipitur de aliqua re institutio debet a definitione proficisci. — Qua structura cur auctor usus sit, si quaesieris, reperies, eum id effici velle ut utrumque nomen pari vi efferatur. — In eiusmodi coniunctionibus adiectivum omnino ante substantivum poni satis videtur notum esse. Leguntur vero saepissime in hac collocatione ea adiectiva, quibus magnitudo vel numerus significatur, velut: magnus, omnis, summus, ullus, unus, tantus. Ex vocabulis, quae saepius intericiuntur, nominaverim praepositiones ad, cum, de, ex, in. Et usitatissimae sunt complexiones: magna ex parte, nulla ex parte, magno cum gemitu, multis cum lacrimis, summa cum diligentia, summa cum dignitate, summa cum honestate.

Satis dictum esse arbitror de utriusque ordinis origine et vi. Deinceps videamus, utro potissimum ordine Caesar et Cicero usi sint in collocandis singulis adiectivi generibus. Qua in quaestione primum dicendum est de pronomine, deinde de numerali, tum de iis nominibus, quae proprie vereque adiectiva vocantur.

Ac primum quidem pronomina etsi in universum cum substantivis cohaerent atque ob eam causam antecedunt, tamen non omnia eodem necessitudinis gradu cum substantivis coniungi solent. Nam cum pronomina „hic“ et „is“ tam frequenter ante substantivum legantur, ut non inito numero locorum huius ordinis satis habuerim notasse pronomen „is“ post substantivum positum legi apud Caesarem locis V *), in Ciceronis orationibus CII, pronomen „hic“ apud Caesarem nusquam, in Ciceronis orationibus locis LXXXVI: minus raro pronomen „ille“ secundo loco invenitur. Neque vero id mirum esse ex eo cognoscitur, quod ille „aliquando ponitur ad ostendendam insignem aliquam personam aut rem.“ (Forcell.) Maiorem etiam vim habere pronomina aliquis, ipse, quidam docet numerus indicis nostri.

Ad pronomen possessivum pertinet quod adhuc in grammaticis nostris legitur, novo ordine adiectivum maiore vi efferri quam vetere. Cuius rei quae sit causa non difficile est

---

*) Quattuor locos iam supra (pag. 3) explicavimus. Cur autem Caesar B. G. III, 8 scripserit „Huius est civitatis longe amplissima auctoritas omnis orae maritimae regionum earum quod et naves habent Veneti“ . . . videbis si ordinem mutaveris „orae maritimae earum regionum.“ Hiatu suavitas sententiae minuitur.

ad intellegendum. Nam complures formae huius pronominis tam sunt humili structura, ut iis sonus sustentari non possit, exempli causa in coniunctione „oratio mea" possessivum paene opprimitur. Ex quo intellegi potest, cur hoc pronomen omnino post substantivum legatur, cum agitur de proximis personis aut rebus. Sic: frater meus, oratio mea, liberi nostri, domus sua (domi suae), filius suus, liberi sui, maiores sui, parens suus, propinquus suus.

Quae diximus de collocatione pronominum, in universum in numeralibus*) valent. Quae quam arte cum substantivis interdum coniungantur, luculente cernimus ex iis exemplis, ubi numerale et substantivum in unum nomen confusa sunt, velut: unanimus, unicornis, primipilus; duovir duumvir, biceps, bidens, bilinguis, bimaris, bivius; triangulus, tridens, triduum, triformis, trimestris, triremis; tresviri, triumviri, trivius; quadrangulus, quadriga, quadrupes, quattuorviri; quincunx, quinquevir; sexvir; septentrio, septemvir; octoiugis, octussis; novendialis; decennis, decemvir, decempeda; Centum Cellae, centumpondium, centumvir, (Centuripa? Κιντόριπα); millepeda, millefolium.

Et collatis iis quae ad numerale spectant exemplis apertum fit ordinalia, quamquam in universum non rarius quam cardinalia et distributiva novo ordine collocata sint, post substantivum poni in certa enumeratione. Dicendum est igitur: hora octava, hora decima, ante diem quintum Kal. Nov.

Satis multa de numerali; sequitur nomen, quod proprie vereque adiectivum nominatur, de quo accuratius est disputandum. Ac comparato numero locorum veteris ordinis cum novo videmus etiam in hoc genere omnino eam fuisse consuetudinem, ut adiectivum ante substantivum poneretur. Quod vero supra diximus, adiectiva usitatissima illo ordine collocata esse, non sufficit omnibus explicandis exemplis. Non enim fit raro, ut etiam adiectivum minus usitatum praecedat. Id ita explicaverim, ut fines novi nominum ordinis cursu temporis prolati sint.

Sed quoniam cognitum habemus, adiectivum plerumque novo ordine cum substantivo coniunctum esse, nunc videamus, quibus potissimum condicionibus Caesar et Cicero vetere ordine uti videantur.

Iam ex eo, quod supra de origine adiectivi diximus, apparet adiectivum quod magis solutis vinculis cum substantivo coniunctum quodam modo memoriam retineat sententiae secundariae, post substantivum poni necesse esse. Huc imprimis pertinent et quae adiectiva ad complendam notionem casum certum vel adverbium desiderant, et quae adiectiva ut ita dicam praedicative usurpantur. Sic: Balb. 6 Haec sunt praesidia Cornelii: talis in rempublicam nostram labor, adsiduitas, dimicatio, virtus digna summo imperatore, spes pro periculis praemiorum. Dom. 110 cum conlegas tuos, summa potestate praeditos, negares liberos esse. Phil. X, 18 potest igitur stare res publica freta veteranis sine magno subsidio iuventutis? Verr. III, 140 Quid potuit elegantius facere praetor cupidus existimationis bonae, qui ab se omnem suspicionem propulsare, qui se eripere ex infamia cuperet. Catil. IV, 19 Habetis ducem memorem vestri, oblitum sui, quae

*) In constituendis iis numeris indicis, qui quotiens numeralia inveniantur demonstrant, omisi et locos, ubi leguntur numeri mixti, et locos, ubi leguntur numeri coniuncti cum nomine „mille".

non semper facultas datur. Imp. Pomp. 68 est vobis auctor vir bellorum omnium maximarumque rerum peritissimus, P. Servilius. B. C. I, 85 Neque enim VI legiones alia de causa missas in Hispaniam septimamque ibi conscriptam, neque tot tantasque classis paratas, neque summissos duces rei militaris peritos. B. G. VII, 72 Hoc intermisso spatio duas fossas quindecim pedes latas eadem altitudine perduxit. ib. 73 Itaque truncis arborum aut admodum firmis ramis abscissis atque horum delibratis ac praeacutis cacuminibus perpetuae fossae quinos pedes altae ducebantur. ib. Ante haec taleae pedem longae ferreis hamis infixis totae in terram infodiebantur. B. C. I, 45 hoc pugnabatur loco et propter angustias iniquo et quod..... B. G. V, 13 qua ex parte est Hibernia, dimidio minor, ut existimatur, quam Britannia. B. C. I, 69 Afraniani milites visendi causa laeti ex castris procurrebant. B. G. V, 7 at equites Aedui ad Caesarem omnes revertuntur. ib. V, 14 quae regio est marituma omnis. ib. VII, 60 naves quas Metiosedo deduxerat, singulas equitibus Romanis attribuit. ib. 88 Vercassivellaunus Arvernus vivus in fuga comprehenditur.

Neque vero deesse locos, ubi scriptores altero usi sint ordine, haec demonstrant exempla. Phil. XI, 3 omnes, qui libere de re publica sensimus, qui dignas nobis sententias diximus, qui populum Romanum liberum esse voluimus, statuit ille quidem non inimicos, sed hostis. Rabir. 26 ceteros pari dignitate praeditos custodes gubernatoresque reipublicae quem ad modum mortuos defendemus? B. G. III, 6 nullo hoste prohibente aut iter demorante incolumem legionem in Nantuatis, inde in Allobroges perduxit.

Quid sit causae cur quaedam substantiva humili structura ante adiectivum poni soleant iam supra demonstravimus. Huc praeter exempla allata pertinere videntur coniunctiones aes alienum, ora maritima. Eodem in numero quamquam referri possunt complexiones di immortales, res publica, tamen alia causa quaerenda est, cum sint similia exempla, quae non illo praecepto explicari possint, velut: di boni, dea bona, Juppiter Optimus Maximus, Pontifex Maximus, Mater magna, tribunus militaris, causa publica, litterae publicae, pecunia publica, tabulae publicae, testimonium publicum. In omnibus fere fit linguis, ut quaedam vocabula vel sententiae, imprimis quae spectant ad cultum deorum aut ad rempublicam, antiquissimis formis retineantur. Hoc modo explicaverim non solum coniunctiones, quas modo nominavi, sed etiam exposuerim, cur adiectiva Romanus, Latinus omnino vetere ordine cum substantivo coniuncta sint.

Sed de ceteris quae a nominibus propriis ducta sunt adiectivis regulam statuere non possum, cum Merguetius eiusmodi adiectiva omiserit. De usu vero Caesariano ex his locis iudicari potest.

B. C. III, 5 Liburnicae atque Achaicae classi.		ib. I, 54 ab Afranianis militibus equitibusque obsiderentur.	ib. I, 83 Acies erat Afraniana duplex.
ib. Praeerat Aegyptiis navibus Pompeius filius.	B. C. III, 40 qui classi Aegyptiae praeerat.	ib. I, 69 Afraniani milites.	

ib. III, 10 detrimento Africani exercitus tanto. *)		ib. III, 101 impetuque facto in Cassianam classem.	B. G. I, 13 bello Cassiano.
ib. II, 32 Africi belli praeiudicia.			B. C. I, 38 a saltu Castulonensi ad Anam.
ib. III, 110 in consuetudinem Alexandrinae vitae ac licentiae.		ib. 88 Ciliciensis legio.	
ib. 4 his Antonianos milites admiscuerat.		B. G. VI, I quos ex Cisalpina Gallia consul[is] sacramento rogavisset.	
ib. 24 Antonianae scaphae.		B. C. III, 4 CC ex Syria a Commageno Antiocho . . . missi erant.	
ib. 7 cum Asiaticis navibus XVIII.			
ib. 40 ab Asiatica classe.		ib. II, 32 Corfiniensem ignominiam.	B. C. I, 23 ab quattuorviris Corfiniensibus.
B. G. VII, 47 excitari se Avaricensibus praemiis.			
B. C. II, 34 praeoccupatus animus Attianorum militum.	B. C. I, 13 milites Attianos.		ib. II, 24 ad castra exploranda Corneliana.
B. G. V, 4 omnibus ad Britannicum bellum rebus comparatis.			ib. 25 ad castra Corneliana.
			ib. 30 in castra Cornelia.
B. C. I, 25 Brundisini portus.	ib. I, 26 in portu Brundisino.		ib. 37 sese in castra Corneliana recepit.
	ib. III, 23 contra portum Brundisinum.	ib. I, 22 Domitiani milites.	ib. I, 23 Milites Domitianos.
	ib. 100 insulam obiectam portui Brundisino.	ib. I, 25 Domitianas enim cohortes.	

*) Hoc uno loco apud Caesarem adiectivum „tantum“ post substantivum legitur.

ib. III, 36 Domitiani exercitus pulvis cerneretur.	
ib. 37 Aegre retentis Domitianis militibus.	
ib. 84 a Dyrrhachinis proeliis.	B. C. III, 87 duobus proeliis Dyrrhachinis.
ib. 89 Dyrrhachinis proeliis.	ib. 80 de proelio Dyrrhachino.
ib. 33 Haec res Ephesiae pecuniae salutem attulit.	
ib. 105 Ephesiae pecuniae Caesar auxilium tulit.	
ib. I, 40 duabusque Fabianis occurrit legionibus.	ib. I, 40 legiones Fabianae duae.
ib. III, 110 ex Gabinianis militibus.	
ib. II, 20 consensisse Gaditanos principes cum tribunis cohortium.	
B. G. I, 22 a Gallicis armis atque insignibus cognovisse.	
ib. IV, 20 omnibus fere Gallicis bellis.	
ib. V, 54 pro recentibus Gallici belli officiis.	
B. C. III, 2 Gallicis tot bellis defecerant.	
ib. 59 omnibus Gallicis bellis.	

B. G. IV, 5 Est enim hoc Gallicae consuetudinis.	
ib. V, 14 neque multum a Gallica differunt consuetudine.	
B. C. I, 51 ut fert Gallica consuetudo.	
B. G. III, 11 classi Gallicisque navibus.	B. C. III, 29 quod est genus navium Gallicarum.
ib. III, 14 Gallicis navibus.	B. G. I, 47 linguae Gallicae scientiam.
ib. IV, 3 Gallicis sunt moribus adsuefacti.	ib. V, 43 quae more Gallico stramentis erant tectae.
ib. VII, 53 ad Gallicam ostentationem minuendam.	ib. VII, 48 more Gallico.
ib. VI, 7 Gallicis rebus favere.	ib. 23 Muri autem omnes Gallici.
ib. 7 ex magno Gallorum equitum numero.	ib. I, 23 equitum Gallorum.
ib. I, 42 omnibus equis Gallis equitibus detractis.	
B. C. I, 51 Celeriter sese tamen Galli equites expediunt.	ib. V, 48 quidam ex equitibus Gallis.
ib. II, 40 duo milia Hispanorum et Gallorum equitum . . . Saburrae summisit.	B. C. III, 22 equitibusque Caesaris Gallis atque Hispanis.

B. G. IV, 16 Germanico bello confecto.

ib. VI, 37 Germani equites.

ib. VII, 13 laborantibus iam suis Germanos equites circiter CCCC submittit.

ib. V, 48 Hanc Graecis conscriptum litteris mittit.

ib. VI, 14 cum . . . Graecis litteris utantur.

B. C. I, 25 omne Hadriaticum mare.

B. G. VII, 9 Helvetico proelio.

ib. V, 26 una ex parte Hispanis equitibus emissis.

B. C. III, 42 de Italicis commeatibus desperans.

B. G. II, 30 hominibus Gallis.

ib. I, 29 litteris Graecis.

B. C. III, 81 casu civitatis Gomphensis cognito.

B. G. I, 2 agrum Helvetium.

B. C. III, 88 Ciliciensis legio coniuncta cum cohortibus Hispanis.

ib. I, 60 cohors Illurgavonensis.

ib. I, 14 lege Julia.

ib. III, 100 elicuit naves Laelianas.

ib. II, 7 Nasidianae naves.

B. G. III, 5 Nervico proelio.

B. C. I, 9 simulatione Parthici belli.

ib. III, 31 Summamque in sollicitudinem ac timorem Parthici belli provincia cum venisset.

ib. 66 cum se obiecisset Pompeianis copiis.

ib. 99 Ex Pompeiano exercitu.

ib. I, 40 Pompeiani exercitus duces.

ib. I, 34 praemissos etiam legatos Massilienses domum.

B. G. I, 5 in agrum Noricum.

B. C. I, 18 ab rege Norico.

ib. 15 omnem agrum Picenum percurrit.

ib. in agrum Picenum.

ib. Cum his duabus Asculum Picenum proficiscitur.

ib. III, 94 acies Pompeiana.

ib. 84 ut progrederetur a castris suis collibusque Pompeianis aciem subiceret.

ib. 58 equitatum Pompeianum.

ib. III, 107 ex Pompeianis militibus.	ib. 69 Legio Pompeiana.	ib. 101 Cassiusque ad Sulpicianam inde classem profectus est.	
ib. II, 17 diffidens Pompeianis rebus.			
ib. III, 35 Pompeianis rebus studebat.			B. C. III, 88 Mediam aciem Scipio cum legionibus Syriacis tenebat.
ib. 1 Pompeia lege damnatos.			ib. 22 in agro Thurino.
ib. 101 Pomponianam classem.	ib. 26 classi Rhodiae praeerat.		
	ib. 27 naves Rhodias afflixit.	B. G. VII, 6 in Transalpinam Galliam profectus est.	B. G. VII, 1 Eae res in Galliam Transalpinam celeriter perferuntur.
	ib. 106 et navibus longis Rhodiis X.		B. C. III, 87 ex coloniis Transpadanis.
	Adiectivum Romanus semel apud Caesarem ante substantivum legitur. B. G. VII, 20: „Haec ut intellegatis, inquit (Vercingetorix), a me sincere pronuntiari, audite Romanos milites.“ Producit servos, quos in pabulatione paucis ante diebus exceperat et fame vinculisque excruciaverat. Hi iam ante edocti, quae interrogati pronuntiarent, milites se esse legionarios dicunt.	ib. III, 18 spes Venetici belli.	B. G. V, 2 neque imperio parebant Germanosque Transrhenanos sollicitare dicebantur.
	B. G. I, 31 Agri Sequani.	ib. IV, 21 ad Veneticum bellum.	

In universum adiectiva huius generis saepius ante substantivum posita sunt quam nonnulli grammatici adhuc opinari videntur. Romanos solitos esse dicere: Sacer mons, Sacra via, Appia via omnibus fere notum est.

Persequenti mihi omnes illas causas, quae in collocandis adiectivis alicuius momenti esse possunt, etiam examinandum visum est, quantum in coniungendis nominibus valuerit consectatio evitandi et versus et hiatus. His vero ex investigationibus nihil novi proferre possum. Et cum non facile sit definire, qua lege omnino suavitas vocum contineatur, tum per est difficile aestimare, quanti momenti haec res sit in duobus coniungendis nominibus.

Tota enim examinanda est sententia. Qua de re doleo, quod fieri non potuit, ut loco numerorum, quos dedi in indice, totos locos ipsos afferrem. Verum tamen non metuo, ne quis eiusmodi numeros inutiles esse opinetur. Etenim numero apertum fit, quid pro regula habendum sit, quo cognito facilius est exceptiones explicare. Apparet exempli causa ex indice nostro iniquus locus apud Caesarem sexies decies legi, locus iniquus quater. Quibus ex locis unum quidem iam supra (pag. 6) tractavimus; tribus autem reliquis cur scriptor ab usu cotidiano recesserit, nemini erit dubium qui legerit: B. G. II, 23 et B. C. I, 45 in locum iniquum, B. G. II, 10 in locum iniquiorem. Nam collocatione „in iniquum locum“ suavitatem sententiae tolli, quis est quin videat? Eadem de causa Caesar dicere solet: his datis mandatis.

Sed priusquam finem faciam huius libelli, indulgentia mihi petenda est a lectore. Quamquam enim summo studio me huic quaestioni dedidi, tamen fieri potuit, ut interdum locum praeterirem. Qui ipse in eiusmodi laboribus versatus est, sine dubio non nimis severe iudicabit, si invenerit numero a me dato unum alterumve locum esse addendum.

Index

adiectivorum usitatissimorum numero inito locorum, ubi apud Caesarem et in Ciceronis orationibus adiectivum positum est

A. ante substantivum.	Caes.	Cic. Or.	B. post substantivum.	Caes.	Cic. Or.
Acer	.	31		1	14
acer homo		.	homo acer	.	4
acutus	2	2		.	5
acutus homo	.	.	homo acutus		4
adversus	8	3		5	3
adversa res	.	.	res adversa	3	.
aequus	26	44		4	32
aequo animo	10	20	animo aequo	.	17
aerarius	1	2		.	3
			tribuni aerarii		3
aeternus	1	15		.	5
aeterna memoria	.	4	memoria aeterna		.
alienus	5	69		5	53
alienum aes	.	1	aes alienum	4	33
alienus homo	.	6	homo alienus	.	13
aliquis, aliqui	22	281		7	154
aliqui(s) modus	.	10	modus aliqui(s)	.	3
aliqua pars	1	27	pars aliqua	2	5
aliqua ratio	.	19	ratio aliqua	.	4
aliqua res	.	9	res aliqua	.	.
aliquot	3	20		1	1
alius	46	242		6	22
alia res	2	15	res alia	.	4
alter	32	86		.	13
altus	11	10		6	.
amicus	.	19		3	28
amplus	7	96		.	62
amplus homo	.	4	homo amplus	.	10

A. ante substantivum.	Caes.	Cic. Or.	B. post substantivum.	Caes.	Cic. Or.
angustus	10	4		5	5
annuus	1	3		1	6
antiquus	4	27		.	12
apertus	7	18		13	7
aureus	.	2		1	19
aureus anulus	.	.	anulus aureus	.	10
Barbarus	8	11		3	12
bellicus	1	9		.	6
bellica laus	1	4	laus bellica	.	.
bini	7	14		.	4
bonus, melior, optimus	6	290		3	221
bonus civis	.	41	civis bonus	1	11
boni di	.	.	di boni	.	6
bonus vir	.	77	vir bonus	.	103
brevis	7	36		.	1
Caecus	.	8		1	1
celer	8	1		.	.
centum	1	8		2	2
certus	32	111		5	30
certus homo	.	13	homo certus	.	6
certus locus	1	8	locus certus	1	.
ceterus, ceteri	2	235		.	5

	Caes.	Cic. Or.		Caes.	Cic. Or.
citerior	14	1		3	2
citerior Gallia	5	1	Gallia citerior	2	2
citerior Hispania	4	.	Hispania citerior	1	
citerior provincia	5		provincia citerior	.	
civilis	4	32		.	58
civile bellum	2	14	bellum civile		18
civile ius	.	4	ius civile		30
clarus	1	200		.	53
clarus civis	.	22	civis clarus		.
clarus homo	.	10	homo clarus		12
clarus vir	.	110	vir clarus		23
communis	33	160		2	64
communis salus	7	21	salus communis	.	14
complures	30	8		8	21
continens	9	2		.	1
continuus	3	3		1	8
contrarius	3	7		.	2
copiosus	.	3		1	9
cotidianus	17	31		3	15
creber	24	4		.	
cunctus	5	67		.	15
cuncta Italia	.	18	Italia cuncta		11
Decem	3	31		7	3
decimus	9	2		7	6
decima hora	.	.	hora decima	1	3
decima legio	8	.	legio decima	6	.
decumanus	6	6		.	11
decumanus ager	.	.	ager decumanus		7
decumana porta	6	.	porta decumana		.
dexter	21	.		1	1
dextrum cornu	13		cornu dextrum	.	.
difficilis	6	22		5	6
dimidius	3	5		.	6
diuturnus	2	20		.	13
diversus	6	7		1	4
divinus	1	21		3	5
doctus	.	8		1	11
doctus homo		6	homo doctus	1	9
doctus vir		2	vir doctus		2
domesticus	4	75		.	39
domesticus hostis	.	11	hostis domesticus		1
dubius	1	7		1	10
ducenti	5	3		6	2
duo	105	199		40	16
duodecim	3	10		9	1
duodecim tabulae	.	8	tabulae duodecim	.	.
duodecimus	2	.		3	1
duodecima legio	2		legio duodecima	3	.
duodeni	2	3		.	.
duplex	5	3		2	.
durus	3	12		.	7
Editus	4	2		3	1
egregius	3	17		.	17
egregius civis	.	2	civis egregius		7
equester	14	43		5	10
equester locus	.	6	locus equester	.	.
equester ordo	.	30	ordo equester	1	5
equestre proelium	14	.	proelium equestre	4	.
excelsus		4		1	1
exercitatus	1	.		1	10
exiguus	5	12		1	3
exiguum tempus	1	5	tempus exiguum	.	.
eximius	2	35		.	6
eximia virtus	1	16	virtus eximia	.	.
externus	1	12		.	6
exterus	1	37		.	13
exterae gentes	.	8	gentes exterae	.	.
exterae nationes	1	29	nationes exterae	.	13
exterior	3	.		1	.
extremus	36	42		1	8
extraordinarius	1	10		.	5
Facilis	3	3		.	1
falsus	3	47		.	18
familiaris	.	2		3	35
familiaris lar		1	lar familiaris	.	6
familiaris res		.	res familiaris	3	20
ferreus	3	.		4	1
fertilis	1	1		.	3
ferus	1	5		4	5
fidelis	.	36		1	20
fidelis socius		14	socius fidelis	.	5

	Caes.	Cic. Or.		Caes.	Cic. Or.
finitimus	30	2		.	3
finitimae civitates	13	.	civitates finitimae		.
finitimae regiones	7	.	regiones finitimae		.
firmus	7	31		.	8
firmum praesidium	3	11	praesidium firmum	.	2
fortis	4	188		7	116
fortis civis	.	27	civis fortis	.	2
fortis consul	.	11	consul fortis	.	4
fortis vir	4	111	vir fortis	6	94
fraternus	1	5		1	4
frequens	1	24		1	14
frequens senatus	.	16	senatus frequens	.	12
frequentissimo senatu	.	5	senatu frequentissimo	.	.
frumentarius	1	10		40	27
frumentaria res	.	1	res frumentaria	40	20
Gladiatorius	1	5		.	6
grandis	3	24		.	11
grandis pecunia	.	7	pecunia grandis		7
grande pondus	.	6	pondus grande		.
gravis	22	146		1	58
gravis testis	.	7	testis gravis	.	.
gravis vir	.	8	vir gravis	.	1
Hic, haec, hoc cf. pag. 4.					
honestus	4	75		2	100
honestus homo	.	15	homo honestus	1	62
honestus vir	.	12	vir honestus	.	10
horribilis	1	7		.	3
humanus	1	20		.	17
humanum consilium	.	6	consilium humanum		.
humanus homo	.	1	homo humanus		4
humilis	2	3		.	3
Idem	135	590		.	33
idoneus	22	9		6	10
idoneus locus	12	1	locus idoneus	5	.
ignobilis	.	1		1	4

	Caes.	Cic. Or.		Caes.	Cic. Or.
ignotus	1	6		.	6
ille	23	1735		2	420
immanis	2	30		.	16
immortalis	.	10		8	287
immortales di		.	di immortales	8	282
imperatorius	1	4		.	4
imperitus	1	13		4	13
imperitus homo	1	4	homo imperitus	4	7
improbus	1	51		.	59
improbus civis	.	15	civis improbus		1
improbus homo	.	2	homo improbus		25
improvisus	1	3		.	2
imprudens	3	5		.	4
inanis	1	17		.	10
inauditus	.	16		1	9
incertus	7	10		.	4
incognitus	2	3		.	11
incolumis	10	5		4	11
incredibilis	8	70		.	16
indicta causa	1	8	causa indicta	.	1
indignus	.	14		1	12
inermis	1	1		3	1
inferus	21	15		2	6
inferior locus	5	1	locus inferior	1	.
infestus	4	8		.	12
infinitus	3	28		.	11
infirmus	7	7		.	4
ingens	3	7		.	1
inimicus	2	18		.	17
inimicus homo	.	.	homo inimicus		7
iniquus	19	23		4	11
iniquus locus	16	1	locus iniquus	4	.
inlustris	3	18		.	11
insignis	1	21		.	3
insolitus	1	5		.	2
integer	6	32		3	37
interior	7	5		1	.
intimus	.	7		.	1
invictus	1	12		.	6
invitus	1	13		2	18
inusitatus	2	4		.	1

	Caes.	Cic. Or.		Caes.	Cic. Or.
ipse	59	544		3	345
ipsum genus	.	2	genus ipsum	.	13
ipse homo	.	3	homo ipse	.	15
ipsa res	.	13	res ipsa	.	48
is, cf. pag. 4.					
iustus	8	41		1	21
Latus	4	2		6	4
legitimus	1	14		.	11
lenis	6	4		.	4
lenis homo	.	.	homo lenis		4
levis	17	11		1	11
levis armatura	11	1	armatura levis	.	.
liber	6	36		1	25
liber homo	.	.	homo liber	.	5
liber populus	1	15	populus liber	.	2
locuples	1	11		.	38
locuples homo	.	3	homo locuples		16
longinquus	9	1		.	5
longus	29	24		17	7
longo intervallo	.	16	intervallo longo	.	.
longa navis	5	.	navis longa	15	.
Magnus	402	661		27	126
magnus animus	4	19	animus magnus	.	2
magnus dolor	5	20	dolor magnus	.	1
magnus homo	.	8	homo magnus	.	3*)
			Juppiter Optimus Maximus	.	28
			Mater magna	.	6
magnum opus (magno opere)	4	38	opus magnum	.	.
			Pontifex Maximus	.	16
magna res	4	26	res magna	.	18
maritimus	7	10		13	16
maritima ora	1	.	ora maritima	11	6
mediocris	10	27		2	.
medius	37	29		3	4
meus	7	782		1	642
meum beneficium	.	9	beneficium meum	.	.
mea causa	.	29	causa mea	.	6

*) + 2 homo maior natu.

	Caes.	Cic. Or.		Caes.	Cic. Or.
meus frater	.	8	frater meus	.	23
meum ius (meo iure)	.	9	ius meum	.	.
meum nomen	1	18	nomen meum	.	4
(meo nomine	.	9	nomine mea	.	.)
mea oratio	.	4	oratio mea	.	54
mea voluntas	1	12	voluntas mea	.	2
(mea voluntate	1	7	voluntate mea		.)
militaris	8	8		28	60
militaris res	.	.	res militaris	19	34
militaria signa	1	.	signa militaria	8	1
militaris tribunus	.	.	tribunus militaris	.	10
miser	3	41		.	50
miser homo	.	.	homo miser		10
multus, plus, plurimus	95	496		2	64
Navalis	2	5		2	7
necessarius	18	7		4	20
necessaria res	7	.	res necessaria	2	2
nefarius	3	101		.	58
nefarius homo	.	2	homo nefarius		13
nefarium scelus	1	18	scelus nefarium		4
nimius	3	25		.	2
nobilis	3	55		1	112
nobilis homo	.	16	homo nobilis	1	68
nocturnus	17	23		.	7
non nullus	20	37		4	4
nonus	3	.		11	3
nona hora	.		hora nona	5	3
nona legio	3		legio nona	6	.
noster	71	374		59	409
noster civis	.	26	civis noster	.	2
nostra civitas	.	20	civitas nostra	.	4
nostri homines	.	21	homines nostri	.	2
nostri liberi	.	2	liberi nostri	.	8
nostri maiores	1	6	maiores nostri	.	107
nostra memoria	1	13	memoria nostra	.	4
noster ordo	.	17	ordo noster	.	2
nostri patres	.	1	patres nostri	3	7
nostra provincia	.	3	provincia nostra	5	3
notus	5	8		1	17
novem	3	9		5	2

	Caes.	Cic. Or.		Caes.	Cic. Or.
novus	46	164		8	62
novissimum agmen	15	.	agmen novissimum	1	.
novum genus	4	14	genus novum	.	.
novus homo	.	9	homo novus	.	7
nova res	5	8	res nova	5	7
nullus	80	691		7	152
Octavus	1	1		3	4
octavus dies	.	.	dies octavus	.	2
octava hora	.	.	hora octava	1	2
octava legio	.	1	legio octava	2	
omnis	492	1411		71	384
oneraria navis	9	3	navis **oneraria**	7	2
opportunus	5	4		3	3
Par	25	42		1	7
parvulus	4	3		1	1
parvus, minor, minimus	35	88		6	17
minora castra	3	.	castra minora	4	.
paternus	1	31		.	18
paternus amicus	.	6	amicus paternus		1
paucus	58	61		3	10
pauci anni	3	7	anni pauci	.	1
pauci dies	28	24	dies pauci	1	5
pauci menses	3	4	menses pauci	.	.
pauca verba	1	5	verba pauca	.	.
pecuniarius	.	2		1	7
pecuniaria res		1	res pecuniaria	1	7
pedester	9	3		.	2
pedestres copiae	6	2	copiae pedestres		.
periculosus	.	13		1	10
peritus	4	7		2	15
permagnus	1	8		.	5
permultus	1	15		.	9
perniciosus	1	19		.	8
perpauci	.	8		1	1
perpetuus	15	32		1	11
plenus	1	6		3	35
plerique	3	3		1	3

	Caes.	Cic. Or.		Caes.	Cir. Or.
posterus	40	20		.	4
posterus dies	40	7	dies posterus		2
praecipuus	1	6		.	.
praesens	11	42		3	19
praetorius	2	14		2	17
praetoria cohors	2	.	cohors praetoria	1	5
prior, primus	94	153		5	23
prima acies	6	.	acies prima	.	.
primum agmen	4	.	agmen primum	.	.
prima actio	.	43	actio prima	.	.
primus impetus	10	.	impetus primus	.	.
prima luce	18	1	luce prima	2	.
prima nocte	5	2	nocte prima	.	.
primus ordo	10	1	ordo primus	.	.
primum tempus	.	10	tempus primum	.	.
pristinus	16	27		.	13
pristina dignitas	.	10	dignitas pristina		1
pristina virtus	6	1	virtus pristina		.
privatus	12	88		4	23
privatum consilium	3	11	consilium privatum	.	.
privatus homo	.	7	homo privatus	.	3
privata res	.	15	res privata	.	3
propinquus	6	5		.	10
propinquus homo	.	.	homo propinquus		6
propior, proximus	52	28		2	10
pr. collis	7	.	collis pr.	.	.
pr. dies	5	1	dies pr.	.	.
pr. nox	5	3	nox pr.	.	.
proprius	1	16		2	6
provincialis	.	4		1	7
publicus	8	102		5*)	184
publica causa	.	5	causa publica	.	10
publicum consilium	3	21	consilium publicum	.	9
publicae litterae	.	13	litterae publicae	1	29
publica pecunia	.	1	pecunia publica	1	24
publicae tabulae	.	6	tabulae publicae	.	23
publicum testimonium	.	4	testimonium publicum	.	13
pulcher	1	37		.	35
pulcherrimum signum	.	.	signum pulcherrimum		12

*) omissa coniunctione „res publica“.

	Caes.	Cic. Or.		Caes.	Cic. Or.
Quartus	14	8		4	12
quarta legio	.	4	legio quarta	.	11
quarta vigilia	7	.	vigilia quarta	.	.
quattuor	18	16		9	2
quidam	26	185		16	142
quendam modum	.	.	modum quendam	.	2
quodam modo	.	9	modo quodam	.	.
quietus	5	4		.	8
quinque	10	10		15	3
quinque cohortes	3	.	cohortes quinque	7	.
quintus	2	8		2	3
quisque	18	43		2	.
Recens	8	39		.	18
rectus	4	8		.	1
regius	3	15		4	37
reliquus	159	97		4	12
repentinus	27	21		1	12
Salvus	1	20		1	1
salvis auspiciis	.	6	auspiciis salvis	.	.
salvo capite	.	3	capite salvo	.	.
sanctus	2	54		.	29
sanctus homo	.	5	homo sanctus	.	10
sanctus vir	.	9	vir sanctus	.	2
sceleratus	.	44		1	16
sceleratus civis		9	civis sceleratus	.	2
sceleratus homo		9	homo sceleratus	1	8
secundus	23	19		5	10
secunda fortuna	.	5	fortuna secunda	.	.
secundum proelium	6	1	proelium secundum	3	.
secundae res	1	3	res secundae	1	3
secunda vigilia	3	.	vigilia secunda	.	.
senatorius	.	9		4	21
senatorius ordo	.	2	ordo senatorius	4	7
septem	2	3		3	.
septimus	7	1		8	1
septimus dies	4	.	dies septimus	4	.
septima legio	3	1	legio septima	3	1
servilis	2	4		.	4
sex	14	10		7	2
sex menses	.	5	menses sex	.	.
sexaginta	1	1		7	1

	Caes.	Cic. Or.		Caes.	Cic. Or.
sextus	.	2		1	3
similis	10	35		.	9
similis ratio	4	4	ratio similis	.	.
singularis	11	108		.	33
singularis virtus	3	8	virtus singularis		.
singuli	28	51		5	24
in singulos annos	.	.	in annos singulos	2	6
sinister	13	3		1	.
sinistrum cornu	10	.	cornu sinistrum	.	
solus	2	19		1	35
stultus	1	6		.	8
stultus homo	.	.	homo stultus		5
subitus	3	10		.	1
superus	.	1		.	2
superum mare		1	mare superum		2
B. superior	95	52		29	25
superior annus	14	9	annus superior	.	6
superior dies	17	2	dies superior	.	.
superior locus	8	1	locus superior	28	6
superior nox	2	3	nox superior	.	1
superius tempus	13	.	tempus superius	.	.
C. supremus	.	4		.	.
supremus dies		4	dies supremus	.	.
D. summus	103	552		3	20
suus	302	908		127	1044
suus civis	.	24	civis suus	.	9
sua domus	.	3	domus sua	2	50
(suae domi		.	domi suae	.	30)
suus filius	.	1	filius suus	.	19
suus frater	.	2	frater suus	.	15
suum ius	4	27	ius suum	1	9
(suo iure	1	14	iure suo	.	1*))
sui liberi	2	3	liberi sui	1	11
sui maiores	.	2	maiores sui	2	18
suum nomen	2	27	nomen suum	.	7
(suo nomine	2	15	nomine suo		.)
sua pars	.	22	pars sua	.	1
suus pater	.	4	pater suus	.	13
sua sponte	13	32	sponte sua	.	1
Talis	10	100		.	17
tantus	97	714		1	58
tenuis	3	22		.	13
tenuis suspicio	.	8	suspicio tenuis		.

*) Verr. II, 36. var.: suo iure.

	Caes.	Cic. Or.		Caes.	Cir. Or.
tertius	31	32		8	21
tertia acies	6	.	acies tertia	.	.
tertius dies	6	3	dies tertius	2	3
tertia hora	.	.	hora tertia	2	4
tertia pars	4	1	pars tertia	3	1
tertia vigilia	12	1	vigilia tertia	.	.
tot	12	198		.	4
totus	93	418		8	130
tres	28	54		17	7
tribunicius	3	26		1	23
tribunicia potestas	1	12	potestas tribunicia	.	.
tribunicia vis	.	.	vis tribunicia	1	7
triginta	.	5		13	12
trinus, trini	4	5		.	.
turpis *)	6			1	
tuus	1			.	

	Caes.		Caes.
Ullus	33		2
ulterior	13		2
ulterior Gallia	2	Gallia ulterior	2
ulterior Hispania	4		
ultimus	5		1
universus	6		3
unus	113		14
urbanus	4		1
uterque	38		1
Varius	6		1
vester	11		2
veteranus	4		.
vetus	24		2

*) Nondum editus est fasciculus ille Merguetii lexici, in quo quae restant adiectiva continentur.

JUN 1 1887
FEB 16 1807
JUN 10 1807
Cath Univ
4/9/37
Cath Univ
11/17/39
FEB 1
CANCELLED
-406

Lc 7.567
Adiectivum quo ordine apud Caesarem
Widener Library 002691427
3 2044 085 187 540